

Cambridge University Press

978-1-107-43830-9 - Opera: Hactenus Inedita T. Livii De Frulovissis: De Ferraria

Recognovit C. W. Previté-Orton

Excerpt

[More information](#)

---

TITI LIUII DE FRULOUISIIS  
*COMOEDIAE*

---

Corallaria  
Claudi Duo  
Emporia  
Symmachus  
Oratoria  
Peregrinatio  
Eugenius

Cambridge University Press

978-1-107-43830-9 - Opera: Hactenus Inedita T. Livii De Frulovissis: De Ferraria

Recognovit C. W. Previté-Orton

Excerpt

[More information](#)

---

Cambridge University Press

978-1-107-43830-9 - Opera: Hactenus Inedita T. Livii De Frulovissis: De Ferraria

Recognovit C. W. Previté-Orton

Excerpt

[More information](#)

---

## CORALLARIA

Cambridge University Press

978-1-107-43830-9 - Opera: Hactenus Inedita T. Livii De Frulovissis: De Ferraria  
Recognovit C. W. Previté-Orton

Excerpt

[More information](#)

#### DRAMATIS PERSONAE

**CLEOBULA** *mulier*  
**IOHANNA** *mulier*  
**CLAUDIOPOTIS** *mulier*  
**BROMIA** *ancilla*  
**CLAUDIUS** *adulescens*  
**AGISARETUS** *adulescens*  
**HENRICUS** *Germanus*  
**HERNIA** *ancilla, vocata SIGISMONDUS*  
**HEUCLIO** *senex*  
**FACETUS** *senex*  
**EXPERTUS** *servus*  
**PECUPHILUS** *adulescens, HEUCLIONIS filius*  
**MILES** *adulescens*  
**ASCALAPHOS**  
**Vespertilio*n*es**  
**FABRICIUS** *senex*

Cambridge University Press

978-1-107-43830-9 - Opera: Hactenus Inedita T. Livii De Frulovissis: De Ferraria  
Recognovit C. W. Previté-Orton

Excerpt

[More information](#)

## CORALLARIA

**Corallaria T. Livii Frulouisii incipit. Titulus. Acta f. 1 a**  
 Venetiis iudis Romanis Francisco Foscari duce, Leonardo Mocenigo, Iacobo Triuisano, Bertucio Quirino, Fantino Michaele, Antonio Contareno, et Petro Lau-redano procuratoribus, inductione undecima. Egit Hieronymus de Ponte. Modos fecere Leonardus Piçolus et Iohannes Gratius iuditibis. Tota est peracta Latina.

**ARGUMENTUM.** Claudipotim anum senex amabat Heu-clio. Haec Facetum deperibat. Vterque frustra amabat. Adulescens Miles corallis atque uersutiis auro argentoque emungit mulierem. Sed ubi patuere doli, nubit Claudipotis Heuclioni. Hernia Germana diu sexum mentita uxor Faceti et sodalis Henrici est facta domina.

### Prologus. Loquitur Hieronymus de Ponte

Ne cui uestrum mirum sit, qui sim et cur uenerim paucis dabo, et simul eloquar nomen meum. Praeceptor huc me misit meus. Oratorem uoluit esse, non prologum. Nomen Hieronymus est mihi. Nunc attendite quid uelim. Si quicquam unquam meruit de uobis et uestris liberis, date operam nobis statiam, atque attendite æquo animo. Neque uos moueat oratio maleuolum, qui ita dictitant: non licere nouas dare fabulas: satis esse græce scriptitatas et conuersas latine. Sint fuerintque græcæ et latinæ multæ. Qua gratia ab studio et industria | hominem student reicere? Retrahere uolunt in ocium. Credunt mutata horum ingenia, quanquam omnino perierint uirtutis precia. Quod fecere Græci, facerent et Latini, si sibi honoris palmam præsto scirent. Auaricia, ambicio, inuidia, crudelitas iniquum bonorum peruerunt ingenia. Scitis ab urbe fere condita in hodiernum moris semper fuisse et esse in nostra patria his feriis discipulis præceptores aliquid ludorum dare. Qui certant hastis: qui saltationibus: qui Baccho magis sacrificant. Honestior est nobis uisus hic

f. 1 b

Cambridge University Press

978-1-107-43830-9 - Opera: Hactenus Inedita T. Livii De Frulovissis: De Ferraria  
Recognovit C. W. Previté-Orton

Excerpt

[More information](#)

ludus scenicus. In hoc est nostrum studium placere adulescentulis nostris discipulis uobisque et populo. Neque ex hoc studio aliam palmam expetimus, nisi quod uobis iocunda sit uoluntas nostra. Scio maliuulos detrahere et argumento et stilo. Id illi sibi hoc responsum habeant. Alias sibi excogitent, et in publicum adducant. Facta eos laudent, non maledicta oratio. Non adducimus ueteres fabulas, quod una perierint Græcorum libri cum ingeniis. Tum ueteres sunt ita tritæ quod ex nostris feminis sciant et murilegæ. Noua delectant, noua placent, uetera senium inducunt. Nunc uirtutem et æquanimitatem expeto uestram, uosque quæso et obtestor: æquo animo attendite dum huiusce fabulæ argumentum eloquor.

Pisæ in Italia in ora maritima fuit urbs opulentissima,  
 f. 2 a quoad apud illos fuit iusticia. | Ibi fuit honestus senatus, boni negociatores, diues respublica, concordia multa, honor paupertatis atque uirtutis. Sed ubi luxuria atque auaricia urbem invasere et superbia, illic omnia sunt mutata. Non est nunc consilium dicere quid miseriarum propter has comites patiatur illa. Quum iam fortuna declinaret urbis, magno natu Claudipotis mulier uirum Facetum honore summo loco summo natum deperibat, isque non pluris faciebat illam atque præsecmina ex unguibus illi tonsor quæ totunderat. Amabatur hæc anus ab decrepito Heoclione, nec maioris faciebat senem quam ab Faceto fieret illa. Faceto famulatus fuerat adulescens Miles, pauper, uersutus, et subdolus. Is persuasit mulieri posse confidere quas optabat nuptias. Adducit in Ædem Paupertatis sibi advacatum herum ad iuris religionisque consultum uirum. Militis monitu in templo Facetum mulier præstolatur. Vterque se uidet senex et anus. Abeunt inde. Reuertitur ad herum Miles, et, quod illius uxor cardiacam patiatur, petit corallos ex sententia medici: quibus habitis pro Faceto donat mulierem. Firmat nuptias ignaro Faceto. Postridie ad anum recta proficiscitur adulescens. Rogat hero Faceto mille minas mutuo, quod triremes in Syriam nauigent; impe-  
 f. 2 b trauit. Abiit Athenas, inde in patriam. Suam dicit uxorem. Missam facit prætoriam militiam. Claudius et Agisareetus consobrini hoc dant consilii Claudipoti: quod, | cui potest,

Cambridge University Press

978-1-107-43830-9 - Opera: Hactenus Inedita T. Livii De Frulovissis: De Ferraria  
Recognovit C. W. Previté-Orton

Excerpt

[More information](#)

## CORALLARIA

7

nubat Heoclioni. Medio tempore uirgo Germana Hernia nomine, non obscuro loco nata, forma super omnes pulchra, sub habitu uiri sexum mentita Faceto est famulata. Hanc uirum falso creditam deperibat herilis filia. Stupri appellauit. Quod ubi non impetravit ab Hernia, illam insimulat patri corruptæ fidei. Tunc coacta Hernia sexum manifestat. Fortunam narrat suam. Duxit illam Facetus uxorem, uti celaret dedecus filiæ. Misertus mirum in modum adulescentulæ Germanæ, Henricus Germanus, sodalis eius itidem et uerna Faceti, ab Ascalapho iniuste qui plectebatur, redditur hero suo summa affectus leticia quod illius socius sua sit facta domina.

## \*[Scene 1:] Clæobula et Iohanna mulieres

CLE. Audire uisa sum vocem Iohannæ vicinæ; atque eccam.  
Quid quæris, Iohanna?

IO. Te atque tuam salutem.

CLE. Æcastor de te haud aliter sentio. Sed quid quod adeo te sollicitam, adeo moeroris plenam conspicio?

IO. Tuus me sollicitat morbus agitatque.

CLE. Æsculapio habeo gratiam atque Saluti, quod meliuscula sum.

IO. Sic uideor uidere. Quod gaudeo omnemque de me meoque<sup>a</sup> animo eiicio molestiam, immo quum magis magisque cogito ac tuam formam contempnor, neque tibi aliquid perspicio morbi neque inualitudinis, ni fors amas quod amari frustra est.

CLE. Vnde hoc signi tibi facis?

IO. Quod te colore mehercle non malo tum etiam cui non parum est adiumenti.

CLEO. | Adiumenti? Ah, sic dicens, Iohanna?

f. 3 a

JOHAN. Non uis? Non dicam. Censem ignaram me huiusc artis, an quia me non eodem pacto ornatam uides? Ita me Venus amet, uti si te grauiori morbo affectam non essem rata, quæ<sup>b</sup> me nunc uincis uicta tu quidem fores. Sed quis has nunc audit nostras technas?

<sup>a</sup> MS dememeque.      <sup>b</sup> MS quod.

\* Marginal gloss: η κλαιωθευλη flebilis consultrix.

CLE. Aequior sum nunc tibi, te quod huic admisces criminis. Neque animum inducere queo quod alio coram hac super re uerbum faceres, etiam ipso Cupidine.

Io. More nostrarum euenit, ut dum garrulæ<sup>a</sup> esse cupimus et quum ætatem uerba contriuimus, principium orationis omne de nobis elabitur. Quid uolui dicere ædepol sum oblita.

CLE. At mirabare et formam et ornatum meum: nisi quid aliud uoluisti dicere?

Io. Id quidem uolui dicere. Quid mulieris es? Valet corpus, nisi quicquam cupit quod non audes aperire, et id est quod te ad langorem dicit.

CLE. Quid id est?

Io. Venus aut Cupido te tenet.

CLE. Sin aliud scirem qui meam tibi magis firmarem fidem quam iusiurandum, id pollicerer tibi: apud me non esse quid tale.

Io. Mulier, audacter iuras. Verum abs te aliud expeto coniecturæ signiue, quo [i]stud<sup>a</sup> credam tibi. Narra ergo quid id siet.

CLEO. Non est opus prolato. Percuntari (*sic*) desinas.

IOH. Ah, quasi non tute id magis cupias dicere quam ego quid sit audire?

CLE. At mihi uir interminatus est meus, ne cui id palam faciam. Non ego uiri imperium flocifacere soleo.

Io. Non soleas. Quid ipse sciet? Num tute scis, ubi huic f. 3 b uiciniæ migrasti, | quo pacto me taciturnam atque secretam semper habueris? Omnia tua mihi credidisti. Ecquid decepta es mea loquacitate?

CLE. Secreta esses: at dico ab omni muliere sin alia taceres quam quod nescis. Verum id mihi si non esset uicii quod pr[a]edico tibi, nunquam tam lepide dices quod crederem istuc tibi.

Io. Dic ergo, nec mihi maiorem expectationem iniice. Profecto tacebo, et omnem in hac re uigilantiam adhibebo.

CLE. Non ego ut uigiles postulo. Verum ubi audieris, dormiat lingua.

IOH. Dormibit. Narra, quæso.

\* i erased in MS.

## CORALLARIA

9

CLE. Ausculta igitur.

IOH. Iстic sum.

CLE. Meus ad me uir corallos haud uilis domum cum detulisset, rogo nunquid illos furto fecerit suos. Negat, imperat, immo magnopere interminatur, lecto ne discedam.

IO. Quamobrem, aut hi sibi quid coralli uolunt?

CLE. Mediusfidius id non tibi mirum magis quam mihi fuit: usque quo quamobrem id faceret resciui.

IO. Quid id est?

CLE. Claudipotis Facetum amat perdite ipsiusque cupit nuptias. Meus uir callidus et uersutus suis uersuciis persuasit mulieri id facile ab Faceto posse impetrare. Abs quo corallos hos adduxit. Sperat illis argenti et hac fallacia magnum modum latum iri domum ad me atque omnem<sup>a</sup> familiam.

IO. Quænam est hæc Claudipotis? Illancine ais mulierem quæ habitat domi apud Phanum Paupertatis?

CLE. Istanc ipsam. Verum minime deæ sacrificat, sed Pluto potius.

IO. Hui! anum insanam nar[r]as. Sexagenaria est hæc mulier, et nouas nuptias | cupit.

f. 4 a

CLE. Immo si scias quo studio instet, id magis dicas. Pollicita est Militi minas centum, huic si rei lætum imponet finem. Sed, ut audio illius sententiam, maius erit nostræ domi ex hac re emolumentum.

IO. Dic, obsecro, quid aut quo pacto.

CLE. Quod sciui, dixi. Quod nescio, nescium id tradam tibi. Quicquid erit, id omne scies.

IO. Sic uolo, immo te obsecro quod sic fiat: nam ego, solide scias, tua gaudeo gaudia. Tempus est domum ut ego concedam, si forte meus aduentarit, ei ne molesta fiam. Vale.

CLE. Et tu. Dii boni! Quid malum infelicitatis est hoc nostrum, ut tam gar[r]ulæ simus<sup>b</sup>! Quid tam fuitiles! Quod mihi credidit nunc uir, alii me commisisse! Verum non minus accusandus is est, ad nos qui quod taceri uult id tradit. Simul uereor, hæc ne mea procacitas impedimento sit uiro quo boni quod cupid id minime nanciscatur. Per me alius hercle nemo scibit. Hoc unum molestum est: me quod in lecto cupid esse.

<sup>a</sup> MS omnem.

<sup>b</sup> MS scimus.

Cambridge University Press

978-1-107-43830-9 - Opera: Hactenus Inedita T. Livii De Frulovissis: De Ferraria  
Recognovit C. W. Previté-Orton

Excerpt

[More information](#)

10

## CORALLARIA

Heus Thessala! tuus sin aduenit herus, fac sciam, me quod  
in lecto recondam.

[Scene 2:] **Claudipotis mulier et Bromia ancilla**

CLAU. Cui audiuisti melius euenire quam mihi, si Miles  
sua sapientia nuptias has confecerit quas usque expetiui?  
Quod si fiet, immortalitatem mihi nancisci uidebor, cum quod  
diti mea concredam bona, tum quod uiro nubam primorum  
principi. Quanto in honore habebor! Hoc tamen mihi uicio  
f. 4 b dabunt: Faceto quod aliquanto sum natu grandior, | etsi is  
sit senex.

BRO. Hera, dicant quid uelint. Nunc mihi uidere sapere,  
quod animum adieciſt ad nuptias. Sed bona uenia dicam:  
te cum Heuclio expetebat, et imprudens et demens extitisti.

CLAU. Num tute scis, decrepito si nubat anus, alter alteri  
maiori est molestiae quam sit voluptati? Heuclio est natu  
pergrandior.

BRO. Annos natus est sexaginta ut coniicio, nec minorem  
multo iudico ætatem tuam.

CLAU. Tace, stulta. Nisi quod claudico, æque ualeo uireo-  
que atque olim quum annos eram nata triginta, et nuberem  
decrepito. Deos quæso ut meus Facetus sit superstes.

BRO. Sit si te ducet.

CLAU. Ducet.

BRO. Non ædepol multum habeo fidei Militi.

CLAU. Qui?

BRO. Pauper est.

CLAU. Et pauperes uidi bonos.

BRO. Non illis creditur tamen.

CLAU. Hic mihi monstrauit et sapientiam eius atque quam  
familiari utatur Faceto. Ne dubita. Iuno et Hymeneus  
aderunt meis nuptiis, nam eorum in phanis et meæ domi  
sacrufico lubens.

BRO. Et lubentius quam Baccho?

CLAU. Baccho quotidie, continuo Iunoni meas preces  
effundo, supplico, revereor dominam reginam deam.

BRO. Religiosa es.

CLAU. Æquid (*sic*) gaudes mea gaudia?